



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 1. Veri honoris lucem, vmbra honoris longè esse præferendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



TALIO,

SEU

METIENS ET REMETIENS

MENSURA.

QVA OSTENDITVR, HOMI-
NIBVS TAM BENEFICIS, QVAM
MALEFICIS PLERVMQVE PARI
calculo sua opera compen-
sari.

CAPVT I.

*Cur inimicis sit ignoscendum? & tamen
ob hoc eorum peccata non manere im-
punita.*

§. I.

*Veri honoris lucem, umbra honoris longè esse
preferendam.*



Vàm iustis de caussis Mundi Con-
ditor & Gubernator honores alijs
tribuat, alijs auferat, si cetera om-
nia deessent argumenta, satis superq; osten-
derent illi sapientes, qui honores, tamquã

A

rem

rem vilem, & ad pueros pertinentia crepundia, à se abdicauerunt, abiecerunt, conculcauerunt. Neque in sapientum habendus est numero, qui magnum nomen tenet potiùs, quàm implet. Illius in iudicando prudentia laudatur, qui, quando ita res fert, laudes ipsas humanas potest contemnere. Sæpe enim vanæ sunt; sæpe etiam perniciosæ; mutabiles semper. Quamobrem appositè viri nobiles Athenis, fibulæ *cicadam* è terra natã, canentem, & citò morientem; Romani autem *lunulam*, mutabilitatis atque inconstantia notam, calceis suis addiderunt. Splendet quidem Luna, sed non semper lumine pleno; immò nec semipleno semper: sæpe enim etiam sereno celo non cernitur. Ita gloria humana aliquando multum, aliquando parum effulget, aliquando tota obscuratur. Non ita gloria cælestis, quæ constans est & sempiterna, atque idcirco Soli comparata. Neque enim sola Dei maiestas

Psal. 18. 6. in sole posuit tabernaculum suum, sed etiam
Cant. 6. 9. sponsa Dei est electa ut sol, sanctique omnes
instar solis exsplendescunt. Quam gloriam
Christus expressit, quando in monte Thabor resplenduit facies eius sicut sol. Quis scintillam, aut exiguum nitedule lumè luci meridiane,

Matth. 17.
2.

ridianæ anteferet? aut muscam monte, guttam aquæ Oceano maiorem esse iudicaret? Hoc ne faciant à Deo meliora docti, non modò contenti sunt, si defituros honores non adipiscantur, aut amittant; verùm etiam spe maioris gloriæ in cælo adeundæ gaudent: neq; de vindicta cogitant eorum, à quibus ignominia iniuriaque afficiuntur; sed insuper eos ponunt in numero benefactorum.

§. II.

Iniuriarum patientia in heroico exemplo tradita.

Dicebat Abbas Ioannes quibusdam fratribus: Quia fuerunt tres philosophi amici, quorū unus moriens alteri reliquit filium suum commendatum; qui in etate iuuenili prouectus, nutritoris sui adulteravit uxorem. Quo scelere cognito missus est foras. Deinde cū plurimūm pœniteret, non ei concessit regressum sed ait illi: Vade, & esto tribus annis inter damnatos, qui metalla in flumine deponunt, & sic indulgeo tibi culpam tuam. Quo post triennium redenuit rursus ait: Vade alios tres annos da mercedes, ut iniurias patiaris. Ille verò fecit sic alios tres annos. Qui dixit ei: Veni ergo nunc ad civitatē Atheniensem, ut philosophiam discas. Erat au-

Heriberg.
Rosveid:
l. 6. de
Vit. PP.
libell. 4.
n. 12.